



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Rubricæ generales Breviarij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

easdem Rubricas proposui, hîc velut proprio loco per modum brevium notarum repeterem, ut vel ex hoc etiam argumento tantò faciliùs cognoscat benevolus Lector, omnia aut pleraque certè, quæ huic libello inserta sunt, Rubricis conformia, aut saltem contraria non esse.

RUBRICÆ a. GENERALES b. BREVIIARIÏ. c.

A. Sic dictæ, quia olim, imò & nunc in Titulis & Capitulis ruber color adhibetur: per se autem nihil aliud sunt, quàm Leges & Directiones ad Officium Divinum, seu Horas Canonicas ritè recitandas præscriptæ.

B. Particulares enim in ipso corpore Breviarij annotantur; de quibus proin bene notandum est, quòd, ubi illæ aliquid generalibus hisce Rubricis contrarium statuunt, hoc ipso iisdem derogare censendæ sint.

C. Sic enim jam olim appellatus est hic liber preceptorius, preces ab Ecclesia præscriptas comprehendens, quia est breve & admirabile compendium Scripturæ, ut Lessius l. 2. de jure & just. c. 37. du. 8. notat. Vocantur tamen preces in Breviario contentæ vulgari nomine *Horæ Canonicae*, eò quòd è Sacrorum Canonum decreto sint persolvendæ, uti P. Gobat in compend. Hor. Can. s. 1. advertit.

Officium quotidie fit aut Duplex. d. aut Semiduplex. e. aut Simplex. f.

D. Sic dictum, quia Antiphonæ in Marutino, Laudibus & Vesperis duplicantur, id est, integræ ante & post Psalmos dicuntur.

E. Sic appellatum, quia sicut duplicia tres Nocturnos & novem Lectiones, binasque Vesperas habet; deficit verò à Solemnitate eorundem duplicium, quia nec Antiphonas duplicat, nec preces & Suffragia ordinariè excludit, ut Duplicia.

F. Sic vocatum, quia simplici ritu, nempe cum uno tantùm Nocturno, & tribus Lectionibus celebratur.

TITU